Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31713
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

retur, xx[mi]. v[ti] memoriam facit. Quo in loco, cum nichil de
tempore suae captivitatis ut fertur apte demonstrat,
quia eius regis tempore describat, de quo ut prophetaret ac-
ceperat. Quod vero ait: in exordio anni, x[mo] mensis, tempus
simpliciter exprimit, ut ex ipso quoque tempore in corda au-
dientium iuxta litteram verbi radicem figat, ex qua spiritales
fructus postmodum proferat. Notandum vero quod ait: xiiii[o]
anno postquam percussa est civitas, ipsa hac die. Quid est enim quod
per hanc visionem ultimam omnipotens Deus et ipsa die digna-
tus est promissionis suae gratiam facere, qua die in percussa ci-
vitate iram iustitiae impleverat? Nisi quod illa divinitatis
vis, quae in diversitatis motum et mutabilitatem non ducitur,
ea ipsa luce iustitiae afflictos ac penitentes vivificat,
qua superbientes ac rigidos percutit. Praemisso itaque visi-
onis tempore subiungit: Facta est super me manus Domini, et ad-
duxit me illuc in visionibus Dei. Adduxit me in ter-
ram Hierusalem, et dimisit me super excelsum montem nimis,
super quem erat quasi aedificium civitatis vergentis ad
austrum. Cuius videlicet civitatis aedificium accipi iuxta
litteram nullatenus potest. Nam paulo post subdit hoc ipsum
aedificium calamo vi cubitorum et palmo, portam vero eiusdem
aedificii xiiii cubitis mensuratam, cuius portae frontes esse
per singulos lx cubitorum. Quae cuncta iuxta litteram nulla-
tenus accipi valent. Quomodo enim totum simul aedificium
calamo idem vi cubitis et palmo mensuratur, et portae aedi-
ficii in xiiii cubitis, frontes vero portarum in lx cu-
bitis extenduntur? Porta vero in civitate est, frontes
in portis, et nulla recipi ratio permittit, quia minus est